



## **Annales Ecclesiastici, Das ist KirchenHistorien Caesaris Cardinalis Baronii**

In welchem die aller Furnembste vnnd Denckwürdigste Geschicht/ so sich in Geistlichen vnd Weltlichen Sachen in dem Ersten hundert Jahr von der Geburt Christi verlossen vnd zugetragen/ trewlich beschrieben werden

**Baronio, Cesare**

**Mäyntz, 1602**

**VD16 B 425**

Carmen Heroicum. In Annales Ecclestiasticos Cæsaris Cardinalis Baronii, A Valentino Levchtio S. Th. Doctore Proton. Apostolico & Comite Palatino, Canonico Francofordiano, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64433)

Carmen Heroicum.

IN

ANNALES EC-  
CLESIASTICOS CÆSA-  
RIS CARDINALIS

BARONII,

A VALENTINO LEVCH-  
TIO S. TH. DOCTORE PROTON. APO-  
stolico & Comite Palatino, Canonico  
Francofordiano, &c.

In Linguam Germanicam translato.

AUCTORE

GEORGIO BARTHOLDO

PONTANO A BRAEIDENBERG, PRO-

ton. Apostol. & Comite Palatino, Præposito Metropol. Eccl. Pra-  
gensis, Olom. Can. & Budiss. Seniore, &c.

Poeta Coronato, &c.



QVAM vigili studio, noctesque diesque labore  
Perpetuo, magno fructu, multo ære coactas  
Magnarum rerum cupidi, cupidi que sciendi  
Voluitis Iliades, totus quas congerit orbis?

Et merito: hinc grandævus erit florente iuuenta  
Lector, & annorum cursum sæcli que recursum  
Regnorumque statum, nec non ab origine prima  
Quasque sciet gentes, leges, vastaque ruinas,  
Consilia, arma, Duces, Patres, æquumque bonumque  
Cætera quis dicet? Laudanda vtrinque voluntas,  
Qui legit aut scribit: quamuis diuersa loquantur,  
Postremo ingenium vel deficit ipsamet ætas,

)( )( )

Et

Et mundana manent mundo, cum vita recedit.  
Quid iuuat ergò premi tantorum mole laborum,  
Qui modicum in vita, sed nil in morte reponunt.  
Quin potius desiderio monumenta perenni  
O sanctæ fidei atque animæ æternæque salutis,  
Quæque DEVS posuit cum primum conderet orbem  
Quantaque per terras omnes, maria omnia circum  
Et cælis egit magnus DEVS ipse potenter,  
Vt sic vera fides homini, via vera salutis  
Cognita, qua possit verè cognoscere CHRISTVM  
Trinum vnumque DEVM, fidei & mysteria sacra,  
Discite, nobiscum siquidem hæc in sæcula durant.  
Ecce autem Illustris quàm inuicta BARONIVS Auctor  
Romanæ vnus, sine qua neque vita salutis  
Gloria nulla DEI, diuina gratia verbi  
Producit fidei longa serie argumenta.  
Nascentem temet mirare, Ecclesia mater,  
Quo patre sis genita, & quantis feliciter ausis  
Creueris in totis pugnantibus hostibus orbe.  
Tot tibi Pontifices Romani à Principe CHRISTO,  
Tot tibi Concilia ex toto sæpe orbe coacta,  
Infinita phalanx Sanctorum, temporis ordo  
Optimus, Augusti Reges & ab hoste trophæa  
Maxima parta: furor multus rabiesque Tyranni  
Plurima, & hæretici innumeri, Cacodæmones omnes,  
Te contra valere nihil: Tu sola triumphas,  
Sola inuicta, augusta, æterna, alma, vna, superna,  
Vera, beans omnes, meritis & laude coronans:  
Gloria, laus, virtus & honor tibi competit omnis.  
Hinc tuater magnus Pater ille BARONIVS, almi  
Gloria Cardinei cætus non infima, multis  
Inuictisque suis libris præconia cantat,  
Qualia dum cæli stabunt, nulla hæresis vmquam  
Vel quauis ratione potest sibi fingere nequam.  
Pontifici merito dicat ista BARONIVS Auctor,  
Namque vices CHRISTI gerit, & tibi præsidet alma  
O mater, tua laus totum sic exit in orbem.

Quin

Quin etiam vt melius te te Germania nosset,  
(Sponfa DE I, à dextris Regina decore refulgens)  
Ecce VALENTINI LEVCTHII Compendia, lingua  
Edita Germana, magnum que pium que laborem  
Perpetuum que suum studium, quod totus anhelat,  
Sancta parens vigeat nostris Ecclesia terris  
Hanc operam tibi CHRIS TE, tibi que Ecclesia mater  
Dedicat, auspicio que tuo, Augusto que, RVDOLPHE,  
Nomine, totius mundi admirande MONARCHA  
Publicat: O viuas felix, ô Nestoris annos.  
Principe te semper felix Ecclesia mater  
Latetur, Patre te viuat Respublica felix,  
Donec ouile vnum fiat pastore sub vno.